

Di Rev 1

VENERABILES PATRES,

loquor nomine nonnullorum Episcoporum Americae Latinae et praesertim Reipublicae Chilensis.

Generice agam de Schemate Constitutionis dogmaticae circa Revelationem.

\* Primo : Nostra imprimis interest indolem pastorem istius magne Synodus meminisse, simulque eius peculiarem characterem oecumenicum. Omnia schemata constitutionum et decretorum istius Concilii accuratius conscribenda essent stilo quodam pastoralis et oecumenico ita ut veritatem positive proponerent atque unitatem maxime foverent. Nunc autem, ex discussionibus iam peractis, sufficienter patet schema istud carere illis conditionibus, quia ex una parte scholam redolet et ex altera uni tantum ex catholicorum sententiis favet. Et sic omnes conspicimus illud non solum non promovere unionem fratrum acatholicorum, sed insuper dissensus non parvipendendos introducere inter ipsos fratres catholicos, sive hic, sive in Universitatibus et in Seminaristarum formatione. Nobis videtur praeterea inter causas defectuum schematis adnumerandam unam quae, ni fallimur, sapit professionalem deformationem, ut hodie dicitur. Nam in schemate percipitur mens potius iudicis quam pastoris. Iudicis enim est, et quidem laudabiliter, quaerere errores et errantes, ad veritatem strenue defendendam potius quam egregie proclamandam. Pastoris, e contra, est doctrinam ut bonum hominibus nuntium seu evangelium salutis proponere, et uti papa Joannes in oratione inaugurali pulchre dixit, "misericordiae medicinam adhibere potius quam severitatis arma suscipere, et magis quam damnare, Ecclesiae doctrinae vim uberius explicare". Ceterum, ipsa Tridentina Synodus iam monuerat: "saepe plus agit benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas".

\* Secundo: Mens pastoralis et oecumenica prae oculis certe habere debet et errores et pericula fidei, sed ad illa vitanda utitur praecipue ipso veritatis splendore. Veritas nos liberabit! Apta veritatis propositio vim maximam habet non solum ad errores arcendos (quod munus negativum tantummodo est) sed praesertim ad animos allicendos et ad regnum Dei eiusque iustitiam positive quaerendam et amandam.

Pastores docent ut patres! veritatem faciunt in caritate! Eorum bonum nuntium non est simpliciter definitio stricte orthodoxa et alicui errori opposita, sed veritas vitalis ex caritate Dei orta et ad amorem Dei ducens. Evangelica veritas, a Patre per Filium in Spiritu proclamata, facit efficaciter ut "occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi", ut ait Apostolus. Fides

ipsa ex auditu est. Auribus ergo proponenda est clare, perspicue, amabiliter ipsa vox Patris, quia nemo potest venire ad Christum "nisi Pater traxerit eum"!

Induatur ergo schema istud vestem paternam ac pastoraalem, in eo scilicet proponatur doctrina forma positiva et caritatem redolente, hominibus nostrae aetatis magis aptata, ita ut veritas revelata ex sua ipsius maxima vi et corda alliciat et errores arceat.

\* Tertio: Denique, schema istud quaestiones aliquas continet quae, nostro iudicio, hodiernae aetati sunt valde convenientes ac proinde nullo modo omittendae, uti, exempli gratia, quae ad Sacram Scripturam, praesertim ad eius inerrantiam et historicitatem referuntur. Ad hoc congrue faciendum nobis necessarium videtur statuendam esse specialem peritorum commissionem. Cum autem, experientia teste, non una sit de ha re theologorum mens, et cum in dubiis semper libertas clare servanda est, nobis consentaneum ac logicum videtur quod talis commissio ex aequo componatur cum peritis non tantum unius sed utriusque sententiae. Munus commissionis erit schema breviter refundere ad normam praedictarum annotationum, mutua distinctatum sententiarum reverentia ac libertate bene servata, secundum constantem Conciliorum praxim.

Nos, qui populorum pastores sumus in ista tam difficili aetate, revera non possumus tempus in scholarum disputationibus consumere.

Dixi.

Radulfus Cardinalis Silva H.,  
archiepiscopus Sancti Jacobi in Chylia.